



Incendia silvestria Australiae

Regiones Australiae meridianae tantis incendiis silvestribus vastatae sunt, ut multa oppida omnino delerentur.

Haec clades, qua nihil atrocius huic continenti aetate pacis obtigit, saltem ducentis hominibus perniciosi fuit. Dubium est, an calamitas eo atrocitatis progressura non fuerit, nisi incendia dolo malo conflata essent.

Comitia parlamentaria Israelis

Die Martis (10.2.) in Israele comitia parlamentaria habita sunt, quibus fautores factionis mediae nomine Kadima cum asseclis partium dextrarum Likud de principatu certabant.

Suffragium tam pari Marte iit, ut sententiis computatis praesides utriusque partis se victores profiterentur. Quae cum ita sint, adhuc difficile est dictu, ex utra factione princeps minister Israelis futurus sit.

De colloquiis Moscuensibus

Legati Unionis Europaeae magnae auctoritatis Moscuam iter fecerunt ibique presidentem Demetrium Medvedev et principem ministrum Vladimir Putin convenerunt.

Inter colloquia consenserunt videndum esse, ne inter utramque partem iam tale discrimen oreretur, qualis fuisset mense Ianuario discordia de gaso e Russia in terras occidentales suppeditando. Praeterea de novo foedere a sodalitate ineundo et de rebus ad mercaturam pertinentibus disputabant.

Tyrannosaurus rex serpentium

Grex investigatorius internationalis in America Meridionali fossile serpentis omnium temporum maximi invenit.

Ipsi viri docti magnitudine animalis tantopere stupefacti sunt, ut eum Tyrannosaurum regem serpentium nominarent. Ex costa et columna vertebrali concluditur illud reptile saltem tredecim metra longum fuisse et pondus mille centum quadraginta chiliogrammatum habuisse.

Dies nationalis Lapponum

Postridie Nonas Februarias (6.2.) dies nationalis Lapponum celebrabatur.

Qui mos sollemnis originem ducit e conventu Lapponum communi, qui primus anno millesimo nongentesimo septimo decimo (1917) in Norvegorum urbe Trondheim actus est. Commemorare iuvat Lappones unicum populum aborigineum intra fines Unionis Europaeae esse.

Status Maris Baltici melior

Sinus Finnicus in praesenti admodum bene valet, si condicionem oxygenii respicis.

Quod apparuit in expeditione, quam Aranda, navigium Finniae maribus cognoscendis, in Mari Baltico nuperrime fecit. Insuper repertum est animalia marina mollusca, Ctenophora appellata, quae ibidem vivunt, piscibus non tam periculosa esse quam antea credebatur.

Usus remediorum mentis auctus

Numerus puerorum et adolescentium medicamentis antidepressivis utentium in Finnia his decem annis triplex factus est.

Huc accedit, quod hominibus illius aetatis etiam alia remedia antipsychotica praescribuntur. Quod ad feminas iuniores attinet, decima quaeque aliquam medicinam contra depressionem mentis sumere solebat.